

conjugibus se tractabant, in quo casu fama cum aliis adminiculis ad effectum successione probat filium esse legitimum, Casar de Gral. decis. 6. n. 8. Quis sit legit.

Seraph. decis. 1700 ubi receditur a decisione illa 1081. in qua dictum fuerat tractatum non nocere tertio, & resolvitur quasi possessionem legitimitatis ad effectum successione esse sufficienter probatam ex tractatu, & aliis presumptionibus.

Ac demum Rota in hac ipsa causa coram Card. Ludovico 10. Aprilis 1603. vers. Accedit nominatio.

82 Et hanc sententiam sequuntur etiam auctores omnes, qui in illa questione, An tractatus parentum sufficiat ad obtinendum contra tertium in decisorio, & peritorio iudicio, conciliatis opinionibus concludunt tunc sufficere quando cum tractatu alia concurrunt adminicula. Dec. cons. 5. sub n. 3. vers. Non obstat quod quasi possessio. Cravett. cons. 249. ante n. 3. vers. post etiam dicit, ubi testatur de magis communi, & loquitur contra fideicommissarios, ut ex themate consilii. Ceph. cons. 435. n. 7. 1. vers. Quando cum tractatu concurrunt nominatio, & fama. Rolan. post alios cons. 2. n. 30. vol. 3. vers. Tertio respondetur. Covarr. in Epitom. de sponsalib. 8. §. 3. sub n. 6. in fin. vers. Procedit tamen Rimold. Jun. cons. 339. n. 67. vol. 5. Patet. cons. 40. n. 6. usque in fin. Mascard. de probat. concl. 799. n. 23. & 25. Petra de fideicommiss. q. 11. n. 413. & 514. ubi testatur de communi opinione, & n. 487. & seq. Lup. de illegitim. eodem n. 2. §. 3. n. 53. vers. Tamen indistincte, Jacob. Beret. cons. 39. ante vers. Et his sic stantibus.

Ratio autem differentie cur nominatio, seu nudus, & simplex tractatus patris non noceat tertio, & tamen noceat concurrentibus adminiculis, est satis evidens; quia ideo non creditur regulariter patri nominati, seu tractanti filios ut legitimos, quia non debet esse in ipsius facultate excludere fideicommissarios a bonis ad eos ex fideicommissio pertinentibus; & sicut pater non potest eos directe excludere, cum non agatur de bonis suis, ita nec potest per indirectum nominando, & tractando filios tanquam legitimos, & successibiles. At hac ratio omnino cessat quando tractatus non est nudus, & simplex, sed iuvatur etiam extrinsecis conjecturis; quia tunc tollitur absolute illa suspicio fraudis, quae potuisset oriri ex simplici nominatione: neque enim patet censetur filium legitimum nominasse, ut aliis praediceret, quando eius nominatio, seu tractatus sumit fomentum, & verisimilitudinem ab aliis presumptionibus, quae non a patre, sed aliunde proficiscuntur, sed creditur id egisse, quia sic habet veritas, ut perpendit Cravett. de cons. 991. n. 80. & Gabr. cons. 21. sub n. 43. vol. 1.

Itaque ex tractatu & nominatione Bernardini concurrentibus adminiculis Ubertus fuit constitutus in quali possessione qualificata legitimitatis etiam contra tertium: & revera si hac contra tertium non sufficere, nullus alius dabitur modus parentibus constituendi suos filios in hac quali possessione, quam citatis omnibus, quorum intereret ad constituendum nominationi, & tractatui: atque ita nemo poterit soboli suae alias consilium, quam indico fideicommissarii iudicio. Quod sane absurdissimum esset, & maxime alienum ab equitate, quam semper consuevit sequi

Rota in similibus casibus: id quod animadvertit Bald. in d. c. Per tuas, de probat. ante n. 7. vers. Oppono illud vocare.

Nec praedictis obstant auctoritates, quae in contrarium asserti possunt: ad omnes enim veniet responsio ex sequentibus.

83 Nam aliquando agitur de simplici nominatione parentum absque tractatu, & tunc verius videtur eam nominationem non probare contra tertium; & ita loquitur aperte Jasi a quo alii acceperunt cons. 106. & cons. 81. lib. 1. Mantio. & alii in decis. allegati, ac praeter eos Rebuff. de nominat. quest. 1. num. 3. Dec. cons. 243. in princ. Natta cons. 473. n. 25. Mascard. concl. 790. n. 40. & Menoch. de arbit. iudic. casu 89. n. 83. & hoc modo ad cons. Jafonis in specie respondit Cravett. cons. 991. n. 78. vol. 6. & hic non est casus noster.

84 Aliquando autem agitur de nominatione, & tractatu legitimitatis, et tunc aut concurrunt plures tractatus contrarii, puta quia pater semel tractavit filium tanquam legitimum, semel tanquam illegitimum: et tunc admitti potest ut tractatus legitimitatis non noceat fideicommissariis sicut declarat Butr. in c. Per tuas, n. 17. qui filii legit. & similiter hic non est casus noster.

Aut concurrunt unicus tractatus legitimitatis cum nominatione; & tunc distinguendi sunt duo casus.

85 Primus est, cum versamur in decisorio, & peritorio iudicio: quo casu si tractatus sit simplex absque adminiculis, ardua est questio an sufficiat ad successionem obtinendam excluso tertio: & auctores pro utraque sententia congerit copiose Mascard. d. concl. 799. n. 18. & Petra de fideicommiss. q. 11. n. 478. nec satis consilii potest ultra sit communior; & ad hunc casum referuntur Gratian. & alii ferere omnes, qui dicunt tractatum non nocere tertio: loquuntur enim in simplici tractatu absque adminiculis, & hic similiter non est casus noster.

86 Si vero tractatus non sit nudus, & simplex, sed cum aliis adminiculis conjunctus, tunc vera est opinio, quod tractatus sufficiat contra fideicommissarios etiam in peritorio, ut probavimus ex authoribus supra relatis. Sed tamen nos versamus in casu longe facilliori, ut mox dicetur.

87 Secundus casus est, cum versamur in possessorio, & tunc rursus est subdistingendum: nam aut agimus, an tractatus legitimitatis praediceret alteri matrimonio, & non praediceret, sic procedit auctoritas Innocentii. in c. Per tuas, qui filii legit. & Bald. in Auth. Si quis in aliquo, vol. 2. vers. Iuxta hoc quarto, c. de eden. ut declarat formaliter Paris. cons. 57. n. 46. vol. 4. & neque hic est casus noster.

Aut vero agimus an tractatus, & nominatio patris in iudicio possessorio noceat tertio quo ad successionem bonorum: & tunc concurrentibus aliis adminiculis, & praesumptionibus, verissima, & receptissima est limitatio, quam supra posuimus, quod tractatus noceat etiam fideicommissariis. In quibus terminis nemo contradicere: & hic est proprie casus noster. Versamur enim in possessorio, l. fin. c. de edict. D. Hadrian. vol. ten. habemus nominationem, & geminatum tractatum parentum, & quamplura adminicula alias relata.

Quae distinctio videtur diligenter attendenda, quia si qui Doctores in contrarium adducuntur, sane

sane reducuntur omnes ad aliquem ex superscriptis casibus; nec quisquam loquitur in hac specie, in qua tractatur de tractatu, & nominatione cum pluribus adminiculis ad effectum successione in possessorio iudicio.

QVI FILII SINT LEGITIMI.

Cap. Per tuas.

S V M M A R I V M.

- 1 Legitimus probatur per testes deponentes de matrimonio ante nuptias, licet fama vicinia, & tractatus parentum habeat contrarium.
- 2 Filius susceptus ex sponsa de futuro carnaliter cognita est legitimus, licet matrimonium nunquam fuerit publicatum.
- 3 Secus post Concilium Tridentinum.
- 4 Sententia in qua exprimitur duplex causa, sustinetur ex causa vera, licet iudex principaliter moveatur ex causa falsa.
- 5 Secus si una tantum causa exprimitur, & illa sit falsa.
- 6 Filiationem, & legitimitatem probandi quatuor sunt species, & n. 199.
- 7 Fama probat filiationem legitimam, & illegitimam, & sufficit maior pars vicinia.
- 8 Nominatio parentum probat legitimitatem, maxime si fiat in actu filio legitime proportionabili.
- 9 Legitimitatis probatio per existentiam matrimonii ante nuptias est probatio vera, & vincit famam, & tractatum, quae sunt probationes praesumptivae.
- 10 Probatio per rei veritatem vincit probationem, quae fit per praesumptiones, & consuetudinem.
- 11 Probatio praesumptiva contra instrumentum non admittitur.
- 12 Nominationi parentum super legitimitate filii non statuitur, quando tractatus est contrarium, maxime si cum tractatu concurrat fama, & n. 15.
- 13 Etiam si pater nominaverit filium legitimum in extremis, eumque heredem instituerit.
- 14 Testis deponens in mortis articulo non habet maiorem fidem, quam haberes in vita.
- 15 Tractatus legitimitatis vincit testimonium parentum, & hoc vincit famam vicinia.

1 PER TUAS. Statur dicto testium, qui probant aliquem legitimum, licet fama vicinia, & tractatus parentum habeat contrarium. Hoc dicit, & sunt duae partes. In prima ponitur consultatio. In secunda responsio, ibi, Nos autem.

2 Nota primo ibi, Si per verba de futuro carnaliter cognita, filium natum ex sponsa de futuro carnaliter cognita esse legitimum, licet nunquam matrimonium in facie Ecclesiae sit publicatum: & ita hic est casus secundum Abb. Antiqui. in princ. Ratio est, quia sponsalia de futuro per copulam subsequuntur transiunt in matrimonium praesumptione juris, & de iure, quae probationem in contrarium non admittit, ut est textus in c. Ho qui fidei, supra de sponsalib. ibi notat gl. ultima, & Prosp. Fagn. in 4. lib. Decret.

communiter Doctores, & glossae in ver. Aff. l. 1. sed hodie hoc corrigitur, quia ex decreto Concilii Tridentini c. 1. sess. 24. de refo. matrim. non tenet matrimonium, nisi fuerit celebratum iuxta formam ibi praescriptam de futuro de futuro ex copula non transeunt amplius in matrimonium, nec profunt ad legitimitatem proles, ut lex per censuit S. Congregatio ejusdem Concilii Interpretes.

4 Secundo nota ibi, se processisse legitime, quod ubi in processu, vel sententia iudex exprimit dupli-cem causam, quarum una ad rem pertinet, altera non, quamvis principaliter moveatur ex causa ad rem non faciente, valet processus, vel sententia: secus si unam tantum exprimeret: hic enim Episcopus fundavit sententiam legitimitatis principaliter super Decretali, Transmissio, supra eod. quae in casu dissimili loquitur, ut dicitur in textu, & tamen quia illam fundavit etiam super vera probatione matrimonii, Pontifex referibit eum legitime processisse: & ita communiter ad hoc allegatur hoc capitulum, secundum Anton. de Butr. hic n. 5. & est casus valde notabilis, secundum Alex. de Navo, n. 19. Nec obstat cap. Ex litteris, supra de refo. in integr. de cap. Ex parte, de concess. preben. ubi patet sententiam latam ex falsa causa esse nullam, licet ex alia causa vera possit tolerari: quoniam hoc procedit quando iudex in sententia exprimit tantummodo unam causam, & illam falsam. Secus vero si exprimat plures, ut in causa huius Decretalis, quia tunc sustinetur sententia ex causa vera, licet principaliter iudex motus fuerit ex causa falsa: ad hoc cap. Cum inter, de re iudic. & ita hic declarat Hofl. & Jo. Andr. uterque n. 4. in ver. Iudicis Abbas n. 6. & filius Alex. de Navo n. 19. & 20. dicens hoc communiter teneri.

6 Tertio nota ex hac Decretali, secundum Anton. de Butr. n. 2. & Praepositu. 1. quatuor species probationis filiationis, & legitimitatis.

7 Prima species est communis opinio, & fama vicinia super filiationem, & legitimitatem, ut patet ex littera ibi, secundum opinionem majoris partis vicinia; ex quibus verbis deducunt Abb. & Alex. de Navo ambo in 1. not. ad. ad probandam legitimitatem satis esse, ut quis probet famam vicinia habere, parentes illius fuisse legitime conjunctos: & vice versa ad probandam illegitimitatem satis esse, ut quis probet famam vicinia habere, parentes illius fuisse concubinos, & ad hoc sufficere maiorem partem vicinia, ut in textu. Quod in praesentia practica articulo non famam, ut per Butr. n. 3. Secunda species est assertio, seu nominatio parentum, cum scilicet parentes asserunt, vel consenserunt eum esse eorum filium legitimum, maxime in actu filio legitime proportionabili, veluti heredem instituendo, ut patet in textu ibi, (In testamento heredem instituens, filium legitimum appellavit.) Tertia species est tractatus, cum scilicet pater tractavit matrem illius, ut uxorem, non ut concubinam, sicut cap. Illud, de praesumpt. & de hoc tractatu scripti latissime in cap. Lator, supra eod. Quarta, & ultima species est, cum probatur matrimonium fuisse prius contractum cum illa, ex qua filius genitus est, ut patet in textu ibi, quia tamen dispensatio per testes legitime comprobata.

9 Ultimo nota gradationem inter superscriptas probationum species: nam primo loco praefertur probatio filiationis, & legitimitatis per probationem matrimonii, quae omnes alias contrarias pro-

bationum species vincit, & conquassat, ut hic est casus apertus, secundum omnes. Nam fama viciniæ, & tractatus parentum hic habebat, ut mulier esset concubina, & sic filius ex ea susceptus esset illegitimus: & tamen, quia matrimonium fuit per testes comprobatum, Pontifex huic probationi iniuxit sententiam iudicis confirmavit, ut in fine textus. Ratio hujus conclusionis est, quia probatio per famam viciniæ est probatio opinata; & probatio per nominationem, & tractatum parentum est probatio simulata, vel præsumptæ probatio super excellentia matrimonii est vera probatio, semper autem opinio, & simulatio, vel præsumptio cedit veritati: & hoc est quod innuitur in littera ibi: (Nos autem attendentes quod plus est, quod in veritate agitur, quam quod simulatè conjugit) & concordat C. Plus vol. quod agitur in rubro, & nigro; & ita hic notant Butr. num. 2. Anchar. in 4. not. Abb. in primo not. Præpos. & Alex. de Nayo uterque in 2. not. Et hinc collige generalem theoreticam, quod probatio per rei veritatem semper prævaleat probationi, quæ fit per præsumptiones, & conjecturas. Unde probatio præsumptiva ad impugnandum instrumentum non admittitur, ut notabiliter voluit Bald. post gloss. in l. i. iuris gentium, §. quod ferè, ff. de pactis. Decius post alios cons. 36. Et pro tenui, num. 4. vers. Nec obstat. Rota decis. 106. nu. 4. par. 2. Recent. Inter probationes autem præsumptivas primum locum tenet tractatus, maxime currente fama viciniæ: unde hic non statuerit assertioni parentum super legitimitate etiam cum iuramento contra theoreticam Doctorem in l. 1. §. Julianus, ff. de liber. agnos. & in c. Transmissa, supra eod. quia fama viciniæ, & tractatus præcedens habebat contrarium: nam pater tractaverat mulierem ut concubinam, non ut uxorem; & hoc etiam tacite declaraverat factio ipsa, relinquendo illam, & transiendo ad alia vota; & ita hic notant Ant. de Butr. num. 4. vers. Vel ideo, Cardin. num. 5. Abb. in 2. not. & num. 5. vers. Ad secundum verò, Præpos. num. 5. & Alex. de Nayo n. 4. quod vendicat sibi locum etiam pater appellat filium legitimum in extremis, eumque heredem instituat, ut patet in textu, & notat Alex. de Nayo d. n. 4. Ex quo inferit Butr. n. 5. ut attestatio facta in mortis articulo non magis augeat fidem testis, quam ille haberet in vita, de quo remittit Alex. de Nayo ad cap. Tum ex litteris, supra de test. in integr. & quamyis in casu hujus Decretalis cum tractatu concurret fama viciniæ, tamen non statuit dicto parentum super legitimitate, etiam quando solus tractatus sine fama viciniæ est in contrarium, secundum Innoc. hic in verb. denegasse, & Holt. n. 6. & apertius Ant. de Butr. sub n. 17. vers. Si verò est præjudicium alterius: & merito quia facta sunt potentiora, quam verba, ut in his terminis dixit Rota coram Gregorio XV. in causa Parmen. Status, 10. Aprilis 1606. & scripsi plenius in c. Lator, num. 30. & 5. supra eod. Secundum locum obtinet assertio, & testimonium parentum. Tertium verò locum fama viciniæ: ideoque secundum Ant. de Butr. hic sub n. 17. vers. Si ergo quaratur, & Alex. de Nayo n. 18. si non agatur de præjudicio tertii, statuit dicto parentum super filiatione, & legitimitate, etiam si fama viciniæ, vel infamia sit in oppositum, & tamen non statuit eorum dicto, si præcesserit contrarius tractatus itaque secundum eos tractatus vincit testimonium paren-

tum, & hoc vincit communem opinionem, seu famam viciniæ, quod nota.

DE DIVORTIIS.

Cap. Ex Litteris.

SVM MARIVM.

- 1 **M**atrimonium separatum propter adulterium mulieris reintegratur, si vir postea fornicetur.
- 2 **M**aritus, qui non providet uxori de necessariis, præbet ei occasionem adulterandi.
- 3 **N**on tamen propterea erit ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam egit, dicitur in l. Palam, §. Non esset, ff. de rit. nupt. & potius debuit omnia mala pati, quam adulterio consentire, cap. Ita ne, 32. quæst. 15. & hic not. gloss. 1. Holtien. post princ. in ver. Compulsa. & communiter Doctores, & sic paupertas non excusat adulterium etiam quoad penam civiliter inferendam.
- 4 **M**aritus potest accusare uxorem de adulterio, licet adulterii tempore denegerit ei providere in necessarium.
- 5 **P**ater ob necessitatem victus potest vendere filium.
- 6 **F**ilius tenetur jure naturæ subvenire patri egestate laboranti.
- 7 **F**ilia non committit ingratitude, quæ post viginti annos quinquem annis in nuptia peccat in corpore suo.
- 8 **F**urari, & occidere licet in necessitate, non autem fornicari, & cur.
- 9 **A**dulterium superveniens rei judicata præjudicat conjugii, pro quo lata est sententia.
- 10 **P**aria delicta mutua compensatione tolluntur.
- 11 **M**aritus an possit uxorem adulteram sibi reconciliare invitam non obstante sententia divortii.
- 12 **E**t quid si uxor post latam sententiam divortii religionem ingressa, & professa fuerit.
- 13 **U**xor ob viri adulterium an possit monasterium ingredi, & in eo profiteri, & n. seqq. usq. ad n. 23.
- 14 **A**nne subsit iusta causa cum ea dispenstandi super anno probationis, & n. 23. & seqq.
- 15 **V**ir, & uxor non judicantur ad impariam.
- 16 **C**onjux innocens ob adulterium conjugio liberatur ab omni servitute, quam illi debet ratione conjugii.
- 17 **A**dulter amittit jus revocandi conjugem à monasterio.
- 18 **U**xor adultera post thori separationem an possit ingredi Religionem.
- 19 **U**xor reconciliata viro adultero censetur injuriam remississe, & obligationem mutua servitutis reintegrasse.
- 20 **I**njuria remissa ob nova delicta venascuntur.
- 21 **M**atrimoniale vinculum durat etiam post sententiam divortii usque ad mortem naturalem.
- 22 **U**xor per Religionis ingressum non desinit esse uxor nisi quoad temporaria, & jus seculi.
- 23 **A**nno probationis post Concilium Tridentinum renunciant non potest.
- 24 **Q**uidam ex causis liceat derogare anno probationis.
- 25 **U**xori, cuius vir sacros ordines suscepit, licet ingredi Religionem etiam post matrimonium consummatum.
- 26 **A**nno probationis est jurus positus.

EX LITTERIS, Matrimonium separatum propter adulterium mulieris reintegratur si vir postea fornicetur. Hoc dicit Joan. Andr. Butr. Card. Anchar. Abb. Joann. de Anan. Alex. de Nayo, & Præpos. Et est casus multum allegabilis secundum Abbatem communi divisió; secunda ibi, unde fiat dicitur.

Nota primò ibi, quod cum vir. Argumentum, quod maritus, qui non providet uxori de necessariis, præbet ei occasionem peccandi in corpore suo: ad hoc cap. Si tu abstines, 27. q. 2. Sed ista mulier ad excusandas excusationes suas in peccatis allegabat culpam viri in denegatione alimentorum, ut cap. Quæto, supra de consuetudin. Non tamen propterea erit ignoscendum ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam egit, dicitur in l. Palam, §. Non esset, ff. de rit. nupt. & potius debuit omnia mala pati, quam adulterio consentire, cap. Ita ne, 32. quæst. 15. & hic not. gloss. 1. Holtien. post princ. in ver. Compulsa. & communiter Doctores, & sic paupertas non excusat adulterium etiam quoad penam civiliter inferendam, ut hic per Butr. in 2. notab. Quinimo secundum Abb. n. 4. Maritus potest accusare uxorem de adulterio, licet adulterii tempore denegerit ei providere in necessarium, non enim mulier propter hoc ab adulterio excusatur, quia debet agere contra virum, & petere alimenta, de quo in Specular. in tit. Qui filios legitimos, §. Nunc dicamus, & per Abb. hic in 2. not. n. 3.

Non obstat, quod excusetur pater, qui ex necessitate victus distrahit filium, l. ut, C. de patrib. & Qui filios traxit. Quoniam ibi nullum est peccatum; tum quia filius jure naturali tenetur subvenire patri egestate laboranti, gloss. 1. in cap. Si qui filii, 30. dist. Sylvester in ver. Vitium, n. 25. Tum quia id fit lege permitte, cap. Qui peccat, 23. quæst. 4. & notat gloss. in cap. Ex rescripto, in ver. Offides, supra de jur. jur. & Dyn. in cap. In argumentum, in princ. de reg. jur. lib. 6.

Item non obstat quod filia non committat ingratitude, quæ post 25. annis in nuptia peccat in corpore suo, ut in auth. Sed si post, C. de inoff. testam. nam hoc fuit constitutum in odium patris, quæ tandem diluit filiam marito copulare, ut ibi; (Et tamen etiam filia ob id exheredari non potest, nihilominus à peccato non excusatur,) ut notat gloss. 1. in d. C. Si tu abstines, 27. q. 2.

Rursus non obstat, quod in necessitate liceat furari cap. Discipulos, de consecrat. dist. 5. quoniam ut respondet gloss. in cap. 3. in ver. Paucitate, infra de furt. in necessitate omnia sunt communia, arg. cap. 1. q. 2. dist. cap. 2. q. 1. cap. Quod autem, 23. quæst. 7. cap. Servit. hi, 47. dist. Debit enim credere Dominum permittitur, & Placuit, in ver. de oblig. quæ ex delict. nascuntur. Quare propter necessitatem famis mulier excusatur à furto, non à fornicatione, quia in necessitate res facta est communis, quam furatur, sed in fornicatione non est ita; ac proinde debuit potius omnia mala sustinere, quam peccato consentire, ut in d. cap. Itane, 32. q. 5. vel secundum Holtien. in summa de furtis, §. 1. vers. Sed quaratur quare excusetur. In primo casu scilicet in furto, jus naturale subvenit, & excusat rationalis. In secundo scilicet in fornicatione jus divinum contradicit, & aculat turpitudine, & horror proveniens ex peccato, ut d. l. Palam: & in auth. de resunt. & in ea qua parit in undecimo mense, §. Vnum signatè.

Propius tamen dici potest furari nullo casu permissum esse, quia intrinsece malum: furripere autem alienum esse permissum in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest, ut in censura facultatis Theologica Lovaniensis, quam posuit in cap. Ne imitari, ante num. 340. in octava censura, supra de Constitut.

Demum non obstat quod ego excusor ab homicidio, si ex necessitate me defendendo, meum occidam in vasorem, Clem. Si furiosus, de homicidis, nam ut respondet præcitat. gloss. in cap. 3. de furt. in fine; Ego non interficio; Imò potius ipse se interfecit, qui me aggreditur argum. l. 1. §. Cilm arretr. ff. si quadr. pauper. fecit, die. arg. cap. Lator, infra de homicid.

Secundò nota ibi, nuptius temere celebravit: delictum rei judicata superveniens præjudicat conjugii, pro quo lata est sententia, gloss. ult. hic ad Cyn. & Joan. Andr. num. 10. Quod verum est, etiam si conjuges jurassent sese ulterius non recepturos, argum. cap. Ina nos, supra de jur. jur. & hic notat gloss. penult.

Tertiò nota ibi, redire compellat: quod tibi de adulterio constat ex confessione utriusque conjugis, paria delicta mutua compensatione tolluntur, cap. Significasti, in fin. supra eod. & hic notant Innoc. & Holt. in fin. Joan. Andr. num. 5. in verb. Redire, & plerique alii.

Glossa in verb. redire compellat: movet quæstionem, Numquid vir innocens, qui contra uxorem adulteram obtrivit sententiam separationis thori, possit eamdem invitam sibi reconciliare. Et primò recitat, & multis argumentis confirmat opinionem Laurentii, qui tenuit maritum posse sibi reconciliare uxorem invitam non obstante sententia divortii: deinde recitat contrariam opinionem Hug. qui sentiebat post latam divortii sententiam auctoritate Eccliesie neutrum teneri alteri, & utrumque altero invito posse religionem ingredi, quia uterque in separatione thori cessit juri suo: tandem gloss. refertur cum prima opinione Laurentii: & hanc tenens, quia optimis fulcitur rationibus: & eam tenuerunt Bartholomæus Brixien. in quæst. Dominicali 34. Petr. Hispanus, Vincentius, Gofred. & Philippus, quos hic refert, & sequitur Joan. Andr. num. 11. & consentiunt Cardin. in fin. Anchar. n. 10. Henr. Boich. n. 13. Abb. in fin. & Alex. de Nayo n. 20. Innoc. in cap. De illa, num. 1. vers. De illa, infra eod. Holtien. in summa, de convers. conjugat. num. 9. vers. Et numquid, & in cap. Gaudemus, num. 1. eodem tit. Præpos. in cap. Ex parte, num. 4. supra de spons. Felin. in cap. Lator, in 2. declarat. num. 9. supra de sent. & re judicat. Turrærem. in cap. Apostolus, 22. q. 7. art. 1. num. 12. in solut. ad 3. Stephanus de Gaeta in repetit. cap. Ad limina, 30. quæst. 1. §. 4. m. 23. Ex quibus patet hanc esse receptissimam Canonitarum sententiam, quam etiam sequuntur Theologi, & in specis S. Thom. in 4. sent. dist. 35. q. 1. art. 6. ad 2. & S. Bonaventura ibid. art. 1. quæst. 5.

Quam tamen declarata dummodò res sit integra; secus verò si adultera post latam sententiam divortii religionem ingressa, & professa fuerit, quia tunc vir innocens non potest eam de monasterio educere, & imputet sibi, qui ante professionem noluit eam sibi reconciliare, cap. Gaudemus, supra de convers. conjugat. & firmant hic Holtien. ad fin. Joan. Andr. num. 10. Henr. Boich. nu. 13. Anchar. n. 11.

Abbin. in. Alex. de Navo, n. 20. & Felin. loc. cit. 1470.

13 QUERO, An uxor ob viri adulterium possit monasterium ingredi, & in eo profiteri.
14 Anys suble pata causa cum ea dispensandi super anno probationis.

Ducissa Amalphitana ob adulteria à Duce ejus viro paterata egit ad thori separationem, & sententiam favorabilem obtinuit, quæ Duce non appellante habuit executionem. Communibus deinde amicis sese interponentibus, dicti conjuges redierunt inter se in gratiam, & rursus cohabitare cœperunt: qua cohabitatione durante, cum Dux in alia adulteria fuisset relapsus, Ducissa iterum convenit ipsum ad novam thori separationem. Et probatis in causa adulterii tum ex confessione Ducis privata scriptura adulteria à se commissa attestantis, & separationi, ac professioni regulari per Ducissam emittenda consentientis; tum etiam ex plurium testium depositionibus; sequuta est alia separationis sententia, quæ cum itidem ab ea non fuisset appellatum fuit executioni mandata, & Dux separatus à Ducissa, quæ ex eo tempore monasterium Monialium ingressa, ibidem annos decem commorata est. Nunc autem cupiens in eodem monasterio professionem emittere, supplicat Sanctissimo una cum ejus monasterii Monialibus, ut sibi proficere liceat anno probationis non expectato. Sanctissimo supplicii libello ad S. Congregationem Concilii referendo, mandavit considerari Primum. An casus Ducissæ sit talis, ut ei liceat vivente conjugis Religionem profiteri: Deinde an suble causa, ob quam circa annum probationis Concilio Tridentino derogetur.

Quod primum n videtur respondendum licere Ducissæ vivente marito religionem profiteri, quando enim alter ex conjugibus adulterium committit, potest conjux innocens monasterium intrare, & in eo professionem emittere, cap. Agathosa, 27. q. 2. quod sine dubio procedit in casu nostro, in quo est lata judicio Ecclesiæ divortii sententia, gloss. n. d. cap. Agathosa, in verbo Conventio: & hic tenent gloss. ultim. Joan. Andr. in fin. Anton. de Butr. n. 1. 8. & Henric. Boich. col. 2. circa med. & quavis text. d. cap. Agathosa: loquatur de viro, qui potest religionem ingredi ob adulterium uxoris: tamen eodem juris obtinet in uxore, quæ potest religionem ingredi ob adulterium viri post latam sententiam separationis: nam vir, & uxor in hac materia non judicantur ad imparia, ut dicit textus in cap. Si quis uxorem, 32. q. 2. ubi gloss. in ver. ad imparia, & tradit expressè Host. in summa tit. de convers. conjugat. §. Utrum possit, vers. Quasi maritus, Henric. Boich. in cap. Vxoratus, in 3. col. vers. Aut quævis, eod. tit. de convers. conjugat. Summa Tabien. in verbo. Matrimonium, 4. num. 5. in princ. ubi in hanc sententiam citat S. I. hom. in 4.

15 Anton. de Butr. n. 1. 8. & Henric. Boich. col. 2. circa med. & quavis text. d. cap. Agathosa: loquatur de viro, qui potest religionem ingredi ob adulterium uxoris: tamen eodem juris obtinet in uxore, quæ potest religionem ingredi ob adulterium viri post latam sententiam separationis: nam vir, & uxor in hac materia non judicantur ad imparia, ut dicit textus in cap. Si quis uxorem, 32. q. 2. ubi gloss. in ver. ad imparia, & tradit expressè Host. in summa tit. de convers. conjugat. §. Utrum possit, vers. Quasi maritus, Henric. Boich. in cap. Vxoratus, in 3. col. vers. Aut quævis, eod. tit. de convers. conjugat. Summa Tabien. in verbo. Matrimonium, 4. num. 5. in princ. ubi in hanc sententiam citat S. I. hom. in 4.

16 sentent. dist. 35. quest. 1. art. 4. ad 3. Et ratio est, quia propter adulterium conjugis liberatur conjux innocens ab omni servitute, quam illi debet ratione conjugii, cap. Significasti, supra eod. gloss. in cap. Constitutus, in verbo. Ad gradum sacerdotis, de convers. conjugat. Navarr. cons. 7. §. 1. eod. tit. Nec inquam cogitur reconciliari adultero si nolit, ut hic DD.

17 Quinimo nedum uxor innocens potest marito adultero in viro, post separationem religionem ingredi, & profiteri, sed etiam uxor, propter cujus

adulterium sequuta est sententia divortii, potest saltem antequam vir sibi reconcilietur, monasterium intrare, & validam in eo professionem emittere, ut post Goffredum, & alios antiquos scripserit Henric. in d. cap. Vxoratus, col. 3. vers. Aut non consentiente, post princ. DD. hic, & in cap. De illa, ante finem, infra eodem. Cum igitur Ducissa ob adulteria viri sententiam separationis contra eum obtinuerit, aperte constat ex supradictis liberum ei esse nedum marito non consentiente, sed etiam in viro Religionem irrevocabiliter profiteri.

Neque oblat quòd stance supra narrata facti specie, Ducissa post adulteria à viro commissa, & sequutam sententiam divortii, & separationem, rursus eidem fuerit reconciliata, & cum eo cohabitaverit, ac debitum conjugale reddiderit, & ita injuriam remissa, & obligationem mutæ societatis reintegrare videatur, Tabien. in verbo. Matrimonium, 4. post princ. DD. in cap. Iua, ubi Butr. in fin. de adulter. Responderetur enim Ducissam post talem cohabitationem, & remissionem injuriæ iterum judicium separationis instituisse ob adulteria iterum paterata post primam sententiam, & obtinuisse. Quare cum injuria remissa ex novo delicto renascatur, ut ait gloss. in cap. Iua, in verbo. Fornicationis, ubi DD. de adulter. Ducissa jure optimo, non obstanti tali reconciliacione, potuit separationem thori iterum obtinere; quod & Judicem causæ, qui posteriorem sententiam divortii protulit, animadvertisse probabile est.

19 Neque validitati professionis obstat, quòd etiam lata divortii sententia vinculum matrimoniale duret usque ad mortem naturalem, licet conjuges sint à mutua servitute liberati, cap. 1. & 2. §. 2. q. 2. gloss. in cap. Constitutus, in verbo. Cogere de convers. conjug. Hostien. in d. §. Sed verum, eod. tit. vers. Dicit ergo, Lap. allegat. 1. 23. n. 6.

20 Nam tamen illi uxor per religionis ingressum non desinat esse uxor, nisi quoad temporalia, & titulus uxoris remaneat, nullum tamen jus seculari retinet, ut per Lap. d. alleg. n. 23. & passim DD. supra cit.

21 Quoad secundum de derogatione Concilii circa annum probationis, ea videtur concedenda; quamvis enim partes ipsæ absolventur, renunciare non possint anno probationis post Concilium, Navarr. de regul. cons. 28. Tamen cum ejusmodi annus sit juris positivi, ideoque ante Concilium liceret partibus illi renunciare, cap. Ad Apostolicam, de Regular. Cumque summus Pontifex sit supra omne jus humanum positivum, cap. Proposuit, de concess. Præbend. Navarr. cons. 25. n. 2. de tempor. ordinat. ambigi non potest quin super eo etiam contra generale Concilium possit dispensare, cap. Innovatus, de elect. cap. Translatio, de Constitutione. Gemin. cons. 53. vers. Quodam est potestas suprema: præsertim stance ejusdem Concilii decreto, sess. 25. de reformat. cap. ult. Graves hoc casu subsunt causæ, cur sit derogandum.

22 Primò, Ducissæ nobilitas, ad text. in cap. De multa, in fin. de Præbend. Secundò probitas morum, & insignis illius Religio, cap. Monachum, 77. §. ubi gloss. in verbo. Interfuita, dicit sancti propositi devotionem supplere temporis intervallum, & quòd prolixior confusendo non commulit, restituere morum probitatem, Tertiò, quia cum decem jam annos in hoc eodem monasterio permanferit, Moniales experit esse ejus mores, & ipsa experita est regulæ asperitatem, quæ fuit causa statuen-

23 diendi

24

25

26

27

28

29

30

endi annum probationis ad professionem emittendam, ut d. cap. Ad Apostolicam, de Regular. ubi Abb. & Navarr. d. tit. cons. 25. n. 3. Quare quia id aliàs factum esse constat in casu valde simili. Cum enim sacra Penitentiaria responderet Cinthiæ Mutinæ, cujus vir Ordines sacros susceperat, licere, quamvis matrimonium esset consummatum, ingredi religionem, & in ea profiteri, eaque Cinthia agens annum 38. id quamprimum agere cuperet, petiit secum dispensari, ut non obstante Concilio statim, vel intra annum quodcumque ad professionem admitteretur, cum in monasterio quindecim menses commorata regulæ asperitatem novisset, & ipsa à Monialibus non sciretur: Sacra Congregatio respondit hanc materiam meri juris positivi esse, ideo posse dispensari, & causam justam hoc casu subelle. & ita Gregor. XIII. sententia Congregationis audita, dispensavit.

DE SECUNDIS NVPTIIS.

Cap. Vir autem.

S P M M A R I V M.

1 Conjuges non benedicuntur, si ambo, vel alter fuerit benedictus.

2 Bigamus non est benedicendus.

3 Nuptia secunda cur non sint benedicenda, & n. 5.

4 Benedictio nubentium non reiteratur.

5 Matrimonium secundum quamvis sit perfectum sacramentum, tamen non habet plenam significationem matrimonij Christi, & Ecclesiæ.

6 Benedictio an sint nuptia, quæ sunt secunda respectu viri, non autem respectu mulieris.

7 Consuetudo benedicendi conjuges quando vir secundam duxit virginem, an valeat, & num. seqq.

8 Consuetudo in sacramentalibus non valet, nisi Papa fiat, & toleret.

9 Benedictio nubentium fieri debet à proprio Parocho, non autem ab alio Sacerdote, nisi de ipsius Parocho, vel Ordinarij licentiâ, non obstante immemorabili, vel privilegio, & n. 14.

Et Sacerdos contraveniens est suspensus quamdiu ab Ordinario proprij Parocho absolvatur, n. 11.

10 Conjuges monendi sum, ut non cohabitent ante benedictionem in templo suscipiendam.

11 Consuetudo immemorabilis Venetiarum ut Parochus mulierem benedicat conjuges postquam mulier fuit tradita ad domum viri in alia parochia habitantia, an sit sublata à Concilio Tridentino, & n. seqq. usq. in fin.

12 Vxor tradita ad domum viri efficiunt de ejus foro, & Parochiana Ecclesiæ, cujus est maritus.

13 Parochus contrahentium debet esse talis tempore benedictionis, & n. seq.

14 Qualitas adjecta verbo intelligitur secundum tempus verbi.

1 VIR AUTEM, Joann. Andr. non summat, quia brevis est; sed secundum Alex. de Navo hoc dicit. Conjuges non benedicuntur, si ambo, vel alter fuerit benedictus. Primò notat dictum. Secundò rationem ibi, Quia,

2 Nota primò ibi, ad bigamiam transiit: bigamum non esse benedicendum: & intellige bigamum, scilicet transientem ad secundas nuptias, secundum Hostien. & Joann. Andr. num. 1. & Præposit. in 1. notab. Licet aliàs bigamix plures sint species, ut dixi in cap. Anobis, à num. 2. supra de bigam. & pondera rationem in textu expressam, videlicet, quia cum fuerit benedictus, scilicet in primo matrimonio, non debet iterum benedici: & sic collige benedictionem nubentium non reiterari, ut hic per gloss. 2. & communiter Doctores: & est simile in benedictione Abbatum, & Abbatissarum, ut scripsi in cap. Presbyter, num. 3. de Sacram. non iteran. & ibi plene videas à num. 2. quod duplex sit manus impositio, & quæ iterari possit. Sed aliam rationem cur secunda nuptia non sint benedicenda, reddit S. Thomas in 4. sent. dist. 42. q. 3. art. 2. ad secundum, videlicet quia secundum matrimonium quamvis in se consideratum sit perfectum sacramentum, tamen in ordine ad primum consideratum habet aliquid de defectu sacramenti, quia non habet plenam significationem, cum non sit univocus, sicut est in matrimonio Christi, & Ecclesiæ; & ratione hujus defectus benedictio à secundis nuptiis subtrahitur.

3 Subdit tamen S. Doctor hoc esse intelligendum quando secunda nuptia sunt secunda ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantum. Si enim virgo contrahat cum illo, qui habuit aliam uxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur. Salvatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias, ut latius per eum. Sed certè in oppositum est aperte hoc capitulum ubi patet, secundas nuptias non esse benedicendas, etiam si unus tantum ex conjugibus in primo matrimonio fuerit benedictus; quia ut formaliter inquit Abb. hic num. 2. in fin. cum ista benedictio sit communis marito, & uxori, ex quo alter fuit benedictus, non debet benedictio iterari, quia iteraretur in persona aliàs benedicta. Fateor tamen opinionem S. Thomæ servari in praxi, ut attestantur Covarr. de sponsal. par. 2. cap. 8. §. 11. n. 2. & alii plures hic relati à modernis Collectoribus: quod etiam fateatur gloss. ult. hic dicens (Consuetudine quorundam locorum benedictionem iterari, quando aliquis secundam duxit virginem) & secundum Joann. Andr. num. 7. Multum invaluit hæc consuetudo, quam nonnulli approbant ea ratione, quia ut apparet ex forma benedictionis, tota benedictio fundabitur super muliere: & ita ex quo mulier nunquam fuit benedicta, dabitur nunc benedictio, quia nihil in viro intelligitur iterari. Verum ut subdit Joan. Andr. de jure patet esse contrarium per hanc Decretalem, sicut etiam notat Petr. de Samp. & Abb. Antiqu. in cap. 1. supra eod. & Host. hic num. 2. Conclude igitur hoc casu, in quo versatur in sacramentalibus, consuetudinem hanc non valere, nisi Papa illam sciat, & toleret, prout concitavit gloss. ult. hic, quam Host. & Joann. Andr. & communiter Doctores sequuntur, eamque multum extollit Abb. in fin. ad limitationem eorum, quæ notat gloss. 1. in cap. In istis, §. Leges, 4. dist.

4 Secundò nota ibi, à Presbytero benedici: ad solum Presbyterum pertinere conjuges benedicere, Præposit. hic in secundo notab. Non tamen hoc intelligas de quolibet Presbytero, sed de Presbytero

tero parochiali dumtaxat, ut novissime cautum est Decreto Concilii Tridentini cap. 1. *sess. 24. de reformat.* ubi S. Synodus primò hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiantur in eadem domo non colibitent: deinde statim benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse quocumque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quòd si quis Parochus, vel alius Sacerdos sive regularis, sive secularis sit, etiam si id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiz sponfos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjugere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario proprii Parochi absolvatur.

12 Ex factò quæsitum est, supposita consuetudine civitatis Venetiæ ab immemorabili tempore observata, ut Parochus mulieris, coram quo matrimonium contrahitur, benedictionem Sacerdotalem conjugibus impertiat, etiam postquam mulier ad domum viri in alia parochia habitans fuerit traducta; An hujusmodi consuetudo sit sublata Decreto Concilii, cap. 1. *sess. 24. de reformat. matr.*

13 Videatur respondendum esse sublata: mulier enim ad domum viri traducta efficitur de ejus foro, l. *Cùm quædam puella*, ubi DD. *ff. de iur. d. om. jud. c. 1. Mulieres*, *C. de incol. lib. 10. l. final. S. Idem rescripserunt ff. Admunic. c. de incol. & sicut per talem translationem constituitur parochiana ejusdem Ecclesie, cujus est maritus, ut per Hostien. in *summa tit. de Paroch. §. Quo intelligatur*, vers. *Sei & uxor Joan. de Anan. in cap. final. num. 13. eodem tit. ita delimit esse parochiana illius Parochi, in cujus**

parochia ante translationem morabatur; quia translatione domicili subtrahit eam illius jurisdictioni: ex quo sequitur, ut Parochus mulieris non sit amplius proprius ipsius Parochus, propterea quòd ipsa ob translationem domicili subtrahita est ejus jurisdictioni, *gl. in cap. final. in ver. Habitatores*, per illum text. ubi DD. de Paroch.

14 Unde cùm Concilium Tridentinum prohibeat Sacerdotalem benedictionem ab alio, quàm à proprio Parocho fieri, abolendo contrariam consuetudinem etiam immemorabilem: aperte constat hanc consuetudinem, quæ in dubio supponitur, esse sublata.

15 Nec dicatur Concilium tollere consuetudinem irrationabilem, sive corruptelam, quæ tunc subesse videbatur, quando benedictiones nuptiales fiebant à Parocho profrus alieno, vel ab aliquo regulari, non autem quando fiunt à Parocho, qui proprius fuit, licet tempore benedictionis esse desierit; præsertim cùm is, eò quòd interfuit celebrationi matrimonii, jus ad benedictionem conjugibus impertiendam acquisivisse quodammodo censeatur possit. Respondetur enim non sufficere ut proprius Parochus fuerit, sed oportere ut sit proprius, quando benedicit. Quia cùm Concilium statuat, ut benedictio fiat à proprio Parocho, qualitas adjecta verbo, intelligitur secundum tempus verbi: 1. *In delictis*, §. *Si extor-neus*, ff. de noxal. action. l. *Titius*, ff. de testam. tutel. Roman. *conf. 642. Vi decisionem*, n. 2. *Mil. in repet. in ver. qualitas adjecta verbo*. Et ita debet esse proprius Parochus tempore benedictionis: alioquin sequeretur, eum, qui in aliqua parochia commoratus, inde recessit, posse ad talem benedictionem adhibere Parochum domicili jam mutati, contra *gl. & DD. in d. cap. fin.*

Explicit Commentarius in Lib. Quartum Decretalium.



PROSPERI
FAGNANI
COMMENTARIA
IN PRIMAM PARTEM
QUINTI LIBRI
DECRETALIIUM



COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM, Juniorem.

ANNO M. DC. LXXVI.

Cum Privilegio Sacrae Caesareae Majestatis ad Decennium.